



*Methodus pro cognitione*

## DEBILITATIS HEPATIS

INSERVIENS.

**H**EPATIS DEBILITAS, seu hepatici dicuntur, cum citra manifestum aliquod in viscere malum imbecillitas iecoris accidit ex sola intemperie. Hepatis autem propria principalissimaque facultas seu actio, est vis sanguifica, quod ei ex propria sua substantiæ obtigit proprietate, quæ non ex quavis intemperie mox labefactatur: necessum enim est ut illa intemperies, antequam iecoris actionem propriam imminuere poterit, ita altè radices agat, ut ad iecoris substantiam perueniat, eiusque vires & harmoniam dissoluat. A quacumque autem intemperie hoc fiat, iecur proprium suum officium non facit nisi diminutè; excrementa enim tunc funduntur quæ aquam referunt, in qua carnes recenter mactatæ, lotæ sunt. Quamdiu autem hæc actio propria iecoris labefactata non erit, edet corruptas facultas actiones, non imminutas. Non ergo ab omni intemperie propria iecoris actio læditur; cum ab ea solùm fiat, quæ diuturnitate temporis substantiam iecoris, viresque resoluit. Quòd autem per aluum reddantur potius quàm per alia loca huiusmodi excrementa, fit propterea quòd natura magna ex parte expellere soleat succum imperfectè transmutatum à iecore ob eius debilitatè per intestina, propterea quòd sit via magis propinqua, quam per vrinarios meatus, per quos tamè contingit aliquando huiusmodi superfluitates loturam carnis referentes quoque excludi, unde nonnullos contingit decipi, qui à calculo semper hoc fieri exclamant. Contingit quoque per aluum subinde sincerum quasi excludi sanguinem, & id quidem absque dysenteria, & he-